

Namque parentarum, Caspae magne, tibi.
 Illa autem (iusta est qua Numinis ira) cadauer
 Ipsa sibi, ipsa sibi est patria iam tumulus.

E I D E M.

E Cruce (proh facinus) pendet Colignius heros,
 Qui subiit Christi pro cruce mille cruces:
 Euge igitur Caspar, decorat te dedecus ipsum,
 Archetypum exemplo sic referente suum:
 At cur inuerso pendes sic corpore? versa
 Quod tecum fuerint omnia iura simul.

INSIGNIS HEROINAE, CARLOTTAE
 à Laual, magni illius Galliarū Thalassiarchæ,
 Casparis Colignii vxoris castissimæ, Aure-
 liæ, feruente ciuili bello secundo, mor-
 tuæ, M E M O R I A E.

In superos iterum, & vera pietatis amantes
 Distringi Regum gladios, rursusq; furentes
 In sua, proh facinus! grassari vulnera Gallos,
 Deniq; magnanimum patriæ ac pietatis amore,
 Obiectare caput dubij in discrimina Martis,
 Heroem, Heroïna videns Carlotta maritum:
 Terrenas dudum curas sordesque perosa
 Carlotta, & cali iam pridem ad limen anhelans,
 At potius moriamur, ait, tua quam, Deus alme,
 Numina calcari his oculis cernamus, inulta: